



## The Holy See

---

PIUS PP. XEPISTOLA **IUCUNDA EQUIDEM\*** AD R. D. P. EUGENIUM MEYER, MODERATOREM GENERALEM MISSIONARIORUM SSMI CORDIS IESU,

QUINQUAGESIMO RECURRENTE ANNIVERSARIO EX QUO SODALITAS DOMINAE NOSTRAE

A SACRO IESU CORDE CONDITA FUIT Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Lucunda equidem recordatione Nos refert et ad conditam olim, Tarvisii, a Nobis Sodalitatem Dominae nostrae a sacro Iesu Corde et ad orationem qua populo eam commendavimus: testatamque tunc seriusque haud semel succrescenti operi benevolentiam libet nunc, anno vertente ab institutione quinquagesimo, eidem iterare incrementis in Gallia et alibi passim, uti refert, aucto uberrimis. At vero non iteratae tantum benevolentiae hasce tibi litteras volumus esse testes, sed et petitae nuncias gratiae. Tuae enim, dilecte Fili, libenter concedentes postulationi, plenariae Indulgentiae in forma Ecclesiae consueta quater lucranda per annum a die XXIX huius mensis decursurum, idque diebus a moderatore generali Sodalitatis et ab Ordinario loci dicendis, iis omnibus facimus facultatem qui Exolduni ac Romae aedem religiose adierint D. N. a sacro Corde Iesu dicatam, vel alibi Sodalitatis eiusdem, si quae exstent, oratoria. Valde utique velimus ut ex his beneficiis vis nova novusque ardor Institutum pervadat, reique optatissimae auspiciem esse volumus imploratam a Nobis Patronae potentissimae opem et apostolicam benedictionem, quam omnibus qui Sodalitati adsciti sunt socii, tibi, dilecte Fili, nec non sacerdotibus tuae alumnis disciplinae, peramanter in Domino impertimus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die XX ianuarii MCMXIV, Pontificatus Nostri anno undecimo. PIUS PP.*

---

X

\*AAS, vol. XXXVI (1903-1904), pp. 283-284.

---